



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 159. Æneæ suasionibus bellum contra Turcas decretum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. gesimi sexti non expiraverit, ejusque filii
A. C. 1454. ad Turcas defecerint.

§. CLVIII.

*Principum Germaniae Conventus
Francofordiensis.*

Æn. Sylv. Præstituta die vigesima nona Septembris Francofordiæ conventus celebratur, cui interfuerunt *Æneas Sylvius* *Friderici Legatus*, *Marchio Brandenburgensis*, *Gurcensis Episcopus*, *Theodoricus Moguntinus*, & *Jacobus Trevirensis Archiepiscopi*, necnon Legati ex tota ferme Germania, unacum Nuntiis Apostolicis, & Marchionum Estensis, & Mantuani Oratoribus: *Alphonsi* vero & *Venetorum Legati* non nisi absoluto Conventu Germaniam ingressi fuere. Aderant quoque Hungarorum, & Burgundiæ Ducis Oratores; illi quidem ut suppetias peterent, hi vero, ut eas offerrent, quibuscum *Joannes Capistranus*, quem ubique veluti Prophetam suspiciebant, pariter advenit.

§. CLIX.

*Æneæ suasionibus bellum contra
Turcas decretum.*

Idem comm. Quamvis initio minime audirentur *lib. I. Epist.* qui expeditionem adversus Turcas suadebant, & Ratisbonensis Conventus decre-

decretum, quo bellum hoc conclusum ^{Sæcul. XV.}
fuerat, penitus rejiceretur, nihilominus ^{A. C. 1454.}
cum Æneam solidas duas horas peroran-
tem summa attentione percepissent, o-
mnium repente animi ad pristina belli stu-
dia incaluere, decretumque Ratisbo-
nense de expeditione ineunda innovatum
est, Hungaris quoque auxilium Equitum
decem millium, peditumque triginta duo-
rum promittebatur. Statutum præterea,
ut ad Cæsarem Electores Imperii, ceteri-
que Germaniæ Principes sese conferrent,
ac ea, quæ reliqua essent, decernerent.

§. CLX.

Supplicium Esparri capite truncati.

Hoc anno Carolus Caroliæ Comes, Du-
cis Burgundi Filius uxorem sibi du- <sup>Yoia Chart.
Hist. Car. VII</sup>
xit Isabellam Borboniam, Caroli Borbo-
nii Ducis filiam. Eodem quoque tem-
pore Esparrus in jus vocatus est, qui o-
lim ex Aquitania exul, Pictavium secessit.
Rex haud ignorabat, proditorem hunc
moliri, ut secretis consiliis Anglos in Gal-
lias revocaret, ac altera vice eisdem
Burdegalam urbem traderet, hinc eum
comprehendi jussit, qui cum interrogatus,
crimenque confessus esset, capite plectitur,
ac corpus ejus in sex partes dissectum in
diversis patibulis expositum est.

§. CLXI.

Hist. Eccles. Tom. XXVIII.

E e